

**Carmina gratulatoria in  
honorem ... viri-juvenis  
dn. Andreae L. Nycopensis  
f...**

Rothåf, Jonas Isaksson,

*1 Ic 1643 Nycopensis, Andreas*



National Library  
of Sweden

CARMINA GRATULATORIA

In  
Honorem.

*Præstantissimi, Virtute, Doctrinâq; Ornatissimi Viri-Iuvenis*

DN. ANDRÆ L. NYCOPENSIS

Facultatis Philosophicæ in Regiâ Academiâ  
Aboënsi Adjuncti Meritissimi.

*Quando ei summus in Philosophia gradus,  
in inçlytâ Academiâ Aboënsi,*

Procancellario Magnificentissimo,

*Admodum Reverendo, Præclarissimo & Eminentissimo Domino,*

DN. M. ISAACO B. ROTHOVIO

Amplissimæ Dioceseos Aboënsis Episcopo Dignif-  
simo, Theologo celeberrimo.

Rectore Magnifico,

*Admod. Reverendo & Præcellentissimo Viro,*

DN. M. SVENONE VIGELIO

COPIA-WESMANNO, S.S. Theol. Prof: P. Con-  
sist: Eccles: Adfessore & Ecclesiæ Saguenis Past. digniss.

Promotore.

*Reverendo Clarissimo & Excellentissimo Viro,*

DN. M. SIMONE KEXLERO,

Mathematicum Profess: Ord. Spectabili Facult.

Phil: p. t. DECANO.

*Publicè Solenni actu*

Anno 1643. die 4. Maij Conferretur.

*Scripta*

A

Popularibus Academiæ Aboënsis Civibus.

---

ABOGIÆ, Excudebat Petrus Wald Acad. Typogr. 1643.



Quid tibi pro meritis referam, Præceptor  
amande,  
Mentem qui teneram studijs & morib<sup>9</sup> aptis  
Excolis, ingeniumq; meum conamine multo?  
Si mihi stillaret facilis modò carmina vena,  
Gratarer pleno depromptis pectore verbis  
Quando Suprem<sup>9</sup> gradus tibi confertur honoris  
Nempe quod eximia dicaris in arte *Magister*  
Gratulor ergo novam spartam tibi clare *Magister*  
Et precor ut vivas Pylios feliciter annos

*In debita observantia & grati-  
tudinis monumentum  
adiecit*

JONAS JSAACI  
ROTHOVIVS



Musarum, Juvenes multi, dulcedine ducti  
Doctrina culmen scandere discipiunt,  
Sed prohibet cursum, Fortuna fors inimica,  
Ut metam nequeant tangere propositam,  
Hinc voco felicem te terq; quaterq; beatum,  
O decus ANDRÆ Sympatriota probe,  
Forti qui tantos superasti pectore motus  
Continuò studijs invigilando bonis.  
Nunc grandem cumulum laudum, Perdocte Magister,  
Atq; tuis Studijs premia digna feres.  
Gratulor insignis concessum nomen honoris  
O sit majoris calcar honoris honos!  
Te Deus alme rogo supplex de pectore toto  
Conserve, clarum quò sine fine virum.  
Vos hominum vigiles aulae stellantis alumni,  
Admoneo vestri vos pijs officij;  
Accipite hunc manibus vestris, defendite bellè,  
Nè qua contingant tristia fata viro.  
Quo se cunq; movet, semper vos este parati  
Ire, redire, sequi, sic mea vota fero.

Gratulabundus cecinit

PETRUS A. BERGIUS.  
Sudermanniâ-Svecus.



ALIUD.

**M**E pia cura movet, reliqui cum carmine digno  
Exornent, clarum multiplice arte virum.,  
O mihi si veniam donaverit author Apollo!  
Carmine tentarem condecorare virum.,  
Fulgentem gemmis, nunc dignam fume coronam.,  
Quam labor assiduus te meruisse probat.  
Hæc caput exornat, mentem sed docta Minerva.  
Quam sequitur semper glória laus & honor.  
Exornes spartam, Fautor Perdocte Magister,  
*ANDREA*, patrij flos speciose foli.  
Da Deus huic vires, lætos da Nestoris annos  
Ut vivat felix, lætus honore novo.

*Honoris et amoris ergo  
apposuit*

JONAS BONONIS CAPSTADIUS  
Sudermannus.



**R**omani varias quondam fecere coronas  
*His, quorum virtus cognita Marte fuit.*  
*Sic tribuit Pallas cultoribus Ecce coronas,*  
*Unde sua titulos sedulitatis habent.*  
*Testis es, Andrea Laurenti clare Magister;*  
*Cui chorus Aonijs, virvida vota dedit.*

*Pæ.*



Vos, patriotæ dilecti, complodite mecum.  
Spargite grata novæ, semina lætitiæ,  
Hinc precibus superos, submissis follicitabo,  
Vitam concedant. lætitiámq; tibi  
Sint tecum fidi comites, & noxia tollant,  
Qui domus superæ, mænia celsa colunt.

*Amoris ergò applausit*

GEORGIUS NICOLAI ELINGIUS  
Sudermanniâ-Succus.



*SI* quem vel Pallas decorat, vel mascula virtus,  
Doctrinæve, vigor, laude ferendus erit:  
Doctrinæ cultus cinxit lauro patriotam,  
Accipit hinc patrium gaudia mille solum,  
Nunc pariter cantant cuncti nunc voce sonora  
Et citharam pulsat Delius ipse suam,  
Quando tibi meritò summi tribuuntur honores,  
Quos meruit virtus, ingeniumq; tuum,  
Andrea felix vivas ad Nestoris annos  
Et videas vitæ cuncta secunda tua.  
Tandem Dî faxint, cum cœlica regna revises  
Perpetuò capias gaudia celsa poli.

Non tam moris quam amo-  
ris ergo apposuit

GUTMUNDUS I. LITHOVIVS  
Sudermannus.

Tempore brumali glacialibus aspera ventis,  
Tellus cum premitur, frigore & obruitur.  
Usta gelu rigido torpent animalcula quæq;  
Alma parens niveo, tecta vapore latet;  
Duræ tristitiæ vestigia conspiciuntur,  
Omnibus in terris; nullibi lætitiæ;  
At ver, frigoribus pulsis, lætum omnibus adfert  
His finem, & grato, tecta calore fovet.  
Floribus ac herbis, uber cum terra virescit,  
Omnia tunc læto, pectore profiliunt.  
Et sic *Andrea Laurenti* fautor amande  
Brumam trivisti, Palladis in glacie  
Persepe in somnes suevisti ducere noctes,  
Quo posses studis in vigilare tuis.  
Splendida nunc nitidi, succedunt tempora veris  
Dum summis *Sophiæ* laudibus usq; viges  
Hanc ego fortunam grator tibi pectore toto,  
Comprecor & votis optima quæq; tuis

*Ex animo gratulatur*

JONAS PETRI DRYANDER.  
Sudermannus.

Ocultè florens velut arbor crescit in ævo;  
Sic tibi *Præceptor*, crescunt *Præconia* fama.

Quan-

Quando tibi summi digno, traduntur honores,  
Quos docile ingenium meruit, simul inclyta virtus,  
Accipe iure tibi, tua premia, Docte Magister,  
Quæ tibi promerito Musarum Præses Apollo  
Contulerat. Tantis Præceptor & utere donis.  
In Christi laudem, nec non propriamq; salutem.

Præptori suo honorando  
Applausit

IACOBUS OLAI Shtach  
Nycopensis.

EN quid agam? quæ verba meo de pectore promam?  
Optima num plenis diffundar in omina buccis?  
Cantando rigidos deducens montib' ornos?  
Nam Deus cunctipotens Venerandus Rector Olympi,  
Felices faustosq; facit noctesq; diesq;  
In quibus ad tantos Præceptor pergit honores.  
Sis felix igitur dici consvesce Magister.  
Atq; Magisteri, quo te dignatur Apollo  
Jura tuere tibi Patriæq; Deoq; Supremo.

Præptori suo Charissimo  
Gratulabatur

CANUTUS CANUTI  
Nycopensis.

•••(SSSS)•••

•••(SSSS)•••